





Q. D. B. V.

DISSE<sup>8</sup>  
TAT<sup>13</sup>  
O INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**METASTASI LACTEA**  
QUAM  
ILLUSTRIS MEDICORUM ORDINIS  
CONSENSU  
DIVINO NUMINE AUSPICE  
**PRO LICENTIA**  
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
LEGITIME OBTINENDI  
**D. V. SEPTEMBR. A. R. S. MDCCCLXXXI**  
SOLENNITER DISQUIRENDAM PROPONIT  
**JOHANNES JACOBUS EMBSER**  
ALSATO EPISCOPIVILLENSIS.

H. L. Q. C.

---

ARGENTORATI  
excudebat JOH. HENRICUS HEITZ, Universitatis Typographus.





SERENISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO  
CAROLO II.  
PRINCIPI PALATINO AD RHENUM  
DUCI BAVARIAE  
JULIACI, CLIVIAE, MONTIUM  
PRINCIPI MÆRSIAE  
COMITI VELDENTIAE  
SPONHEMII MARCÆ, RAVENSPERGII  
RAPPOLTSTEINII  
DYNASTÆ IN RAVENSTEIN  
ET HOHENACK



PRINCIPI MAGNANIMO  
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

STUDIORUM SUORUM  
PATRIÆ USIBUS DICATORUM

PRIMAS

VENERABUNDUS OFFERT

JULIAE, CIVITATIS, MONTIUM

PRINCIPIS MERITORIIS

COMITI AERDENSTADT

SPOHNENII MARCIÆ, RAVENSBERGEN

RAPPOLSTADTIN

DYNTONIATUR  
JOHANNES JACOBUS EMBSER

EPISCOPIVILLANUS.






## INTROITUS.



Quum diu hæsitarem, quodnam laborum meorum Academicorum Specimen B. L. exhiberem, quod multæ Artis Medicæ materialæ ab Eruditorum sagaciori ingenio jam satis superque diductæ adeoque exhaustæ, reliquæ autem, quæ adhuc accuratius perquirendæ, poliendæ & illustrandæ sunt, altioris mihi videbantur indaginis, quam ut vires meæ huic oneri ferendo pares essent, tandem a Fautoribus petitum fuit, ut quid de Materie quadam in Artem Obstetriciam influente conscriberem; hisce votis eo lubentius annui, quum mihi præcipue observatio circa hanc rem, si non rarissima, tamen non adeo frequens suppeditaretur. Hancce itaque, prouti mecum illam Dn. OSTERTAG Experientissimus hujus Civitatis Medicus simul & Obstetricans juratus, Praeceptor summe colendus communicavit, hic recenzeo. Ceterum Dissertationem hanc qualemcunque conscriptam, æquo animo B. L. fuscipiat, viribusque tyronis condonet, enixe rogo.

A



## OBSERVATIO.

**M**atrona 36. annos nata, temperamento sanguineo, laxiori corporis habitu, simul & excedente irritabilitate praedita, octo jam proles generaverat, ultimamque lactabat per decem menses. Subito, exorto in ædibus incendio, terrore perculta est; in instante lac e mammis repercutsum, postea non amplius in illis apparuit. Presso pede infœcuta est omnium functionum læsio, ægrotaque infarctu, torminibus in abdomine somnoque turbulentio divexata est; accesserunt motus spastici, nausea, horror & calor febrilis, tandemque febris continua. Primo hujus morbi stadio opposita fuere temperantia, diluentia, sedantia hysterica & clysteres emollientes; sed incassum; de perpetuo enim dolore & tensione in abdomine, quod identidem volumine & duritie augebatur, conquerebatur; dumque hoc in stadio illam febre putrida laborare credebant, remedia leniter aperientia, balnea tepida, firul & eccoprotica sepius repetita præscripta sunt. Omnia autem auxilia eludebat ægritudo, prædicta quippe symptomata quotidie increcebant, quod nunquam non a materia putrida derivabant. Tandem instituto accurriori examine fluctuatio in regione umbilicali detecta est. In consilium tunc vocatus fuit Experientissimus Dn. OBERLIN Medicinae Doctor Civitatis Hagenovienfis in Alsatia Physico ordinario adjunctus; hic rebus probe pensatis, temperantia, antispasmodica, antihysterica, fomentationes emollientes, juscula ex cichoreo, nec non leniter laxantia exhibuit, quibus multum sublevabatur ægropa, etenim remittebant febris exacerbationes, somnisque simul erat tranquillior. Vir hicce Experientissimus, quum deni-

que in infimo ventre fluctuationem persentisceret, lactis in  
 hac cavitate metastasis suspicatus est, atque præscriptorum  
 medicamentorum usum continuari voluit. Remittentibus  
 licet supra enarratis symptomatibus, abdomen tamen non  
 tantum in eodem statu permanxit, sed & de die in diem ad-  
 augebatur. Non paulo post febris subito exarsit cum sum-  
 ma membrorum jactatione animique deliquis, abdomen  
 autem mole valde diminutum deprehendebatur; instituto  
 examine ad minimum decem libræ lactis coagulati, albi,  
 odorisque subacidi, quod per annulum umbilicalem eru-  
 perat, visui fese offerebant; summum inde solamen per-  
 cepit ægrota, attamen perpetuo de infarctu abdominis cum  
 sensu doloris conquerebatur; quumque dein spatio trium  
 hebdomadum quotidie 5. 6. ad 8. unciae hujus liquidi  
 per dictum foramen effluenter, applicata fuit abdomini  
 fascia expellens, vulgo *Compressè expulsive*, simulque  
 injectum Corticis Peruviani decoctum. Sensim sensimque  
 tandem loco lactis excreta fuit materies ichorosa, tempo-  
 ris successu sanguinolenta & foetida, febrisque lenta appa-  
 ruit. Hæcce symptomata per tres circiter menes dura-  
 bant, quorum intervallo catamenia bis stata periodo per  
 umbilicum excreta sunt. Denique propositum fuit a Me-  
 dico mox nominato, ut ægrota Argentinam peteret, &  
 auxilium a supra laudato Dn. OSTERTAG efflagitaret.  
 quod factum est. Hicce vir vidit illam mane jejunam, in-  
 venitque pulsus debilem & parum febricitantem; con-  
 querebatur de summo languore, depravato appetitu,  
 somno interrupto, intensiore post pastum calore, tensio-  
 ne sensuque ponderis in abdome. Durum erat illud &  
 expansum, ita ut explorantibus manibus omnia ejusdem  
 viscera inter se conglutinata viderentur; Catamenia rursus  
 per quinquedies effluebant ex umbilico; cumque propter  
 horum deviationem vasorum uteri infarctum suspicaretur,  
 illum accuratissimo examine exploratum in statu prorsus

naturali deprehendit. In tanta rerum complicatione Dexterrimus Dn. MARCHAL Nosocomii Civitatis Argentinensis chirurgus primarius specillum per aperturam introduxit, illudque perpendiculariter quinque pollicum profunditate penetrans peritonaeo substituit, nec alium in locum penetrare potuit; quumque ab inferioribus a margine præprimis ossium ilei umbilicum versus comprimerentur musculi obliqui externi, sat magna materie ichorosæ copia per ulcus emanabat. Hisce in circumstantiis statuerunt præmissa præparatione plagam ad fundum usque incidentam esse, quo callosi parietes perpendicularis foveæ mota laudabili suppuratione destruerentur, simulque deterrentur sinus tortuosæ propullulantes, qui ex parte inferiori & anteriori supra dicti canalis communis in utroque latere versus ossium ilei margines sese extendere videbantur. Ægrotæ quidem propositis annuit, verum ut antea Sebusii suis adhuc præesse posset negotiis sex septimanarum intervallum expetiit. Præscripta interim fuere remedia deobtruentia, emollientia, sanguinemque ad vias naturales leniter derivantia, ut libero humorum circulo restituto, illius ad plagam affluxus præpediretur. Exhibebantur quippe evacuantia saponacea, juscule coxis ranarum, chærefolio, cichoreo, nasturtio aquatico, succo millepedum & liquore terræ foliata tartari conflata, pilulæ balsamicæ Beccheri cum gummi ammoniaco, extracto cicutæ, atqne sapone officinali. Externe quotidie balneum domesticum nec non cataplasma ex pulpa radicis bryoniae & feminæ lini cum lacte in usum vocata sunt. Ad dilatandam plagam umbilicalem, quæ vix specillum admittebat, quo liber puri conciliaretur effluxus, spongia præparata umbilico fuit imposta. Tonico, quod antea exhibebatur decocto, primo substitutum fuit emolliens, dein & detergens, quibus quotidie ad minimum ter plaga injiciebatur, ut ulcus elueretur, ejusdemque canalis parietes indurati relaxa-

\* 5 \*

rentur. Hisce præscriptis domum rediit ægrota, & elapsis XL. diebus Argentinam reducem simulque in integrum restitutam vidit attonitus Dn. OSTERTAG, & ad hunc usque diem optima fruitur sanitate.

S. I.

Quum hæcce obserratio illum fistat morbum quem Practici metaltas in lacteam appellare solent, hinc quomo-  
do lac varias ob causas retropulsum inque sanguine ober-  
rans varias corporis partes petere, variaque mala pro-  
ducere possit, quo itaque morbi nostri origo simul &  
effectus eo melius perspiciantur, quædam in genere præ-  
mittam.

S. II.

Metaстases lacteas revera existere, experientia quippe evi-  
ctus hodie nemo amplius dubitat. Pauca de hoc morbo in ve-  
terum monumentis prostant; licet enim nonnulli sibi pér-  
suadeant eundem jam HIPPOCRATI a) non plane incogni-  
tum fuisse, mihi tamen videtur eum potius de illis fœ-  
minis verba facere, quæ mammas ex infortunio perdide-  
runt, & fortassis de illis, quæ cancro laborarunt, quem  
phthisis non raro excipere solet, quam de puerperis, qui-

a) En ejus verba Oper. Tom. I. his ægrotant. Lac enim profici-  
pag. 414. Edit. van der Lindern, scens ac influens ab utero, quem  
de Glandulis. Mammæ — reliqui admodum etiam antea in super-  
corporis redundantiam auferunt. na vasa transibat, cum propria  
Testimonium abunde præbent mul- vasæ non habeat, nec reperiat,  
lies, quibus morbus aut alia utpote ipsis per mammarum ad-  
quædam calamitas mammas adi- emitionem privatum in principales  
mit. Nam & vox ipsarum aspe- corporis partes incurrit, cor vi-  
ra redditur, & humores in gu- delicet ac pulmones, atque sic  
lam feruntur, & multo sputo suffocantur.  
pexantur, & caput dolet, & ab

bus lac retrocessit. WILLISIUS b) quantum saltem mihi constat, primus ac fere solus est, qui de hoc morbo inter Anglos hucusque mentionem fecit. Licit metastases lacteas plures recentiorum observaverint, tamen ante PUZOSIUM nullus fuit, qui accuratius in hujus morbi genium inquisivit; hic enim primus exactam morborum lacteorum historiam in Dissertatione quadam Illustri Parisinorum Academiæ exhibita edidit, multis observationibus demonstravit, quanta mala, imo & acutissimos morbos non raro lac variis ex causis degeneratum inque alieno loco hærens creare queat c). Hujus dein vestigia in observandis & describendis morbis a lacte deducendis omnium laude prefferunt LEVRET d), ASTRUC e) DELEUREY f), DAVID g), aliquie h). qui sensim sensimque profundiis in morbi hujus naturam penetrantes non modo Puzosii dicta comprobarunt, sed & novis quandoque & egregiis observationibus illustrarunt.

### §. III.

Veteres vocabulum metastasis dupli sensu summisse, neminem latet; aut enim metastasis illis dicebatur, si humores ad varia corporis colatoria transferuntur, quod &

b) Operum T. I. Tract. de Febris cap. XVI.

c) Hæc Dissertation post ejus mortem a MORISOT DESLANDES in tres partes divisa & cum ipsius arte obstetricia edita fuit. Parisi. 1759.

d) Art de l'accouchement, Paris 1766.

e) Traité des maladies des femmes, Paris 1765.

f) Traité de l'accouchement en faveur des Elèves, Paris 1770.

g) Dissertation sur ce qui con-

vient pour faire diminuer & supprimer le lait des femmes &c. Ouvrage couronné par la Société Hollandoise des Sciences, Par. 1763.

h) Hanc ipsam metastasin fat dignam quoque existimavit Ill. VAN SWIETEN, quam suis inferret Commentariis, hinc T. IV. quum de morbis puerarum tractat, usus est quam maxime LEVRETI observationibus, easque propria experientia confirmavit, simul & aliorum observatis comparavit.

crisis appellari solet, aut si illi in quadam parte figuntur, sive cum depositione feruntur <sup>i).</sup> Recentiores autem sub metastaseos nomine intelligunt, si materies vaga huc illuc feratur, varia suscitent symptomata, & nulla perfectæ cri-  
seos signa adsumt. Quum enim monente Illust. GAUBIO  
<sup>k)</sup>, omnes in corpore nostro humores habeant suos fibi  
a natura constitutos canales, loculos, receptacula, cava,  
quibus tanquam cancellis contineantur, vehantur, nec  
egredi sine noxa possint, si iidem huc illuc feruntur, in-  
que aliena aberrant loca, varia omnino mala surgere debent.  
Mihi itaque sub nomine metastasis lactæ venit, quod Galli  
*Dépôts laiteux*, *Lait repandu*, *Engorgement laiteux*, *Epan-  
chement laiteux*, *Infiltrations laiteuses* &c. Germani autem;  
*Eine Zurücktretung der Milch*, *Eine Milchversetzung* &c.  
appellare consueverunt. Quotiescumque itaque lac e fan-  
guine secedens naturali se- & excretione impedita, nunc  
non in suo sed in alieno loco hæret, huncce statim mor-  
bosum metastasin appello, & ita sub hoc nomine idem  
comprehendo, quod laudatus GAUBIUS de fluidis loco  
aberrantibus nervosa brevitate agens errore impactorum,  
excretorum & effusorum indigitavit.<sup>ii)</sup> Operæ nunc pre-  
mium erit, ut & exactius, quoad id vires permittunt, in  
morbi nostri causas inquiram.

## S. IV.

Varias tales deprehendi causas, quæ morbo nostro  
producendo pares sunt, quilibet perficiet, qui perpen-  
dit, quantas tam res extra nos positæ, queque nos am-  
biunt, & quibus carere non possumus, quam & qui corpori in-  
geruntur cibi potusque pro varia eorundem quantitate &  
qualitate excitare valeant mutationes. Ut enim varia

<sup>i)</sup> GALENUS Comment. Lib. VI. <sup>k)</sup> Institut. Patholog. §. 397.  
Epidem. Hippocratis.

chyli vitia, si is non legitime elaboratus, spissior aut tenuior, quoconque alio modo corruptus, plurimumque a naturali sua blanditie recedit, in omnes corporis humores redundant eosdemque inquinant, imo & ipse chylus bonæ licet nota jam in sanguine hærens variam experiri potest alterationem *l*), ita quoque ipsum lac huic quippe simillimum, quum illius productum sit, eodem fidere trahi debere non obscurum est. Hinc lac nimis spissum ægre lactiferos ductulos intrans ex hoc fonte difficulter admundum per tubulorum ostiola excernitur, serum & lympham præcipue inspissat *m*), glandularumque obstrunctiones metastasi lacteæ faventes creat. Huic oppositum vitium lactis nimirum tenuitas, si illa. quod haud raro accidit, variis acrimonii imprægnata, vario quoque modo potestatem nocendi habet; facillime mammæ inde excoriari, tubulique lacteæ erodi poterunt, aut cum sanguine circulans tale lac pessimas febres accendet, quæ raro per salutarem crisin, quandoque per metastasin solvuntur, sæpius & jugulant. Quodsi ad insignem corruptiōnis gradum pervenerit *n*), & difficulter corrigatur *o*), acida præprimis acrimonia peccans, dum in coagulum abit, vasa obstruit, & eo ipso metastaseos lacteæ causa

*l*) GAUBIUS l. c. §. 324. & seq.  
& Illuftr. SPIELMANN Dissert. de  
optimo infantis recens nati a  
mento §. IX. egregie monet: Chy  
lum in sanguine harentem vario  
modo alterari posse, licet humo  
ribus nil heterogenei insit, tamen  
quando sive diutius justo in san  
guine moratur, sive in vasis ani  
malibus majorcm calorem expe  
ritur, tunc partes suas oleofas  
dimittit, acidus, acris, corruptus  
evadit, plane eodem modo, quo

videmus emulsiones & lac mora  
sive calore corrupti.

*m*) ASTRUC l. c. Tom. V. pag.  
402. Le lait ne se mêle point avec  
le sang, où il est porté, mais fa  
cilement avec la lymphe qui est  
dans le sang.

*n*) LEVRET §. 886. observavit  
catulos lac ex mulierum metastasi  
lactea pericitantium uberibus ex  
fugentes perire.

*o*) PUZOS l. c. pag. 347. Le  
lait degénéré ne connaît souvent  
ni remèdes ni bornes.

evadit;

evadit; acrimonia non minus alcalina lac in grumos co-  
git flavo colore distinctos p).

Etabundantia lactis suis aberrationibus ansam præbere  
valet; non raro quippe mulieres lauto victu viventes hu-  
jus liquidi exsuperantiam experiuntur, dumque tunc ex  
proposito lac in mammis secretum repellunt aut variis ex-  
rationibus ipse tenellos alere denegant, non modo varia  
mammis inducunt vitia, sed & ipsum lac ex iisdem in  
fanguineam massam reductum vasis oneri est q), quum-  
que, quod sèpius contingit, a vasis debilitatis non subigi  
neque in humanam naturam verti queat, cum sanguine  
oberrans, mora alienatur, depravatur, morboque nostro  
opportunam occasionem suppeditat.

### §. V.

Aërem frigidum imprudentius mammis admissum la-  
ctis repercussionem frequentissime facere LEVRET contem-  
dit r). Calorem non minus aëris excedentem, varias ejus-  
dem alias mutationes, vario modo lactantes afficere posse,  
vidit MECKEL s). Reliquis quibuscumque excretionibus  
adauctis, feminas ad metaftasfin lacteam disponi physiolo-  
gica illa regula suadet; una quippe se- & excretione ad-  
ducta altera imminuitur; hinc puerperis v. g. suborta diar-  
rhœa, quæ non raro lactea observatur, mammæ non-  
nunquam subsidunt & lac fundere cessant. Excretiones  
supressas lac corrumpere docent symptomata, quæ lo-  
chia suppressa aut non rite fluentia concomitari solent.  
Nimiam porro corporis quietem morbo nostro favere

p) BOERHAAVE *Elem. Chem.* cause la plus ordinaire des infil-  
trations laiteuses.  
T. II. pag. 302.

q) GAUBIUS l. c. §. 391. r) De finibus vasorum lymphaticorum, pag. 65.  
r) l. c. pag. 351. *Le froid est la*

feminæ testantur vitam lautam & sedentariam agentes, quippe quæ & præ aliis infasto puerperio periclitantur <sup>t).</sup> Motus nimis protractos, ut exinde se- & excretiones turbentur, lactis quoque excretionem pervertere posse nemo inficias ibit. Pathemata denique animi lactis in massam fanguineam regressum quandoque causare, multa loquuntur exempla <sup>u).</sup>

## §. VI.

Ad causas feminas ad metaстasim prædisponentes omnino quoque referenda sunt mammarum tanquam organorum lactis se- & excretioni destinatorum vitia. Quodsi enim mammae deficiunt, huncce morbum jam ab HIPPOCRATE observatum fuisse, supra dictum est. Si papilla variis laborat vitiis, exulcerata, ostiolaque concreta sunt, si eadem nimis sensilis est, ut infantis suctionem ferre nequeat, si illa nimis delitescit, ut ab alium ore prehendi nequeat <sup>v),</sup> quod vitium crebro in causa est, ut non nisi tenuiores aquosæ lactis partes excernantur, reliquæ autem crassiores remanentes ductuum excretoriorum ostiola obstruant, unde mammarum distensio admodum dolorifica, & quandoque id morbi genus surgit, quod Galli *le poil arcoussel* antiquo ridiculo fatis præjudicio, ac si pili orificiola obstruant SAUVAGES *Mastodyniam* vocant <sup>w).</sup> Emplastra saturnina præprimis minus caute mammis applicita variis tumoribus lacteis, indeque propullulantibus metaстasibus anam producendum symbolam suam conferre, perspectu non difficile est.

<sup>t)</sup> ASTRUC l. c. Tom. 5. p. 454. <sup>u)</sup> MECKEL l. c. pag. 65. <sup>v)</sup> WHITTE *Avis aux femmes* II. pag. 70. <sup>w)</sup> *Noſologia Methodica*, T.

## §. VII.

Nova imprægnatio non semper a lactante femina impune fertur; ruit enim lac tunc temporis ad uterum deficitque in mammis; quodsi itaque hic affluxus copiosior & subitaneus est, lactis fit metastasis. Partus ipse difficultior ita debilitare poterit puerperam, ut deficientibus nunc viribus, quæ lac ad mammae urgeant  $\alpha$ ), ad alia loca, uterum v. g. si is præprimis sub partu lœsus fuit, feratur, ibidemque inflammations nec non suppurationes excitat. Fortes illi in partu nisus, quibus musculi, nervi ad spinam lumbarem decurrentes, nec non ligamenta valide extenduntur, exagitantur, lactearum depositionum ad hancce spinæ régionem, ut & ad extremitates inferiores crebrius causæ sunt  $\gamma$ ). Cur tumores lactei potius in exterioribus quam interioribus partibus fiant, causam quærit cl. ASTRUC in lympha in externis partibus frigori quippe magis obnoxii, spissa reddita, ut ita difficilius per glandularum habitum transfire possit  $\zeta$ ).

Quod ad tempus attinet, quo metastases surgere solent, rarissime illas in gravidis contingere, & si forte continent, summo semper cum periculo esse annotat Puzos  $\alpha$ ). Frequentius observantur statim post partum simul & morbos acutissimos brevi tempore vel in salutem vel mortem terminantes  $\beta$ ). Frequentissimas illas autem esse die post partum duodecimo & decimo quinto, diligentes naturæ observatores animadverterunt  $c$ ): quin imo integro post partum anno elapso, curatu admodum difficiles observarunt LEVRET  $d$ ) aliique. Patet inde non exigui momenti esse va-

$\alpha$ ) Journal de Medecine Tom. XXIV. pag. 412. & seq.

$\beta$ ) LUDWIG adv. med. Vol. I. Part. IV. pag. 728. Journal de Medicine Tom. cit. pag. 113. & seq.

$\gamma$ ) l. c. Tom. V. pag. 455.

$\alpha$ ) l. c. pag. 368. 371.

$\beta$ ) Idem l. c. pag. 367.

$c$ ) Idem l. c. pag. 345. LEVRET

l. c. §. 922.

$d$ ) l. c. §. 923.

ria temporis stadia, quibus morbus noster invadere solet.

§. VIII.

Cum lac in mammis collectum & in sanguinem retropulsum per varias vias e corpore effugere molliatur, & quandoque internas corporis partes, frequentius autem externas infestare, observatis compertum fit e), metastasis lactea non male in externam & internam distinguitur. Externa mihi est, si lac in mammis non legitime secretum, aut ob quascunque alias causas ex iisdem regurgitans ad varias corporis ignobiliores partes, ad extremitates f), texum abdominis cellulofsum, glandulas axillares, ad regionem hypogastricam, ad dorsum &c. defertur. Interna autem, si iisdem ex causis ad varios corporis ventres ruit ibidemque tristissimas suas tragedias ludit. Observatum quippe fuit, lac cerebrum obruiens, quod quidem rarius accidit, subsecutam fuisse maniam g): Caliginem lacteam ex HAGUENOTI observatione recenset SAUVAGES h); apoplexiā, quæque hanc exceptit, paralyſin vidit PUZOS i). Idem a lacte ad pectus delato subortam pleuritidem spuriā & pleuropneumoniam k), DELEURYE peripneumoniam observavit l). Lac nonnunquam ad intestina ruens exceptit diarrhoea lactea, ad renes urina lactea, ad uterum, Lochia alba m).

A neglecta post ablactationem suctione magnam la-

e) LE ROI *Mélanges de Physique et de Médecine*, Paris 1771.

f) Et quidem præprimis ad inferiores, rarius ad superiores, frequentissima vero sedes est in peritonei cellulosa. PUZOS pag. 344. DELEURYE pag. 355.

g) LEVRET I, c. §. 844. PUZOS

i. c. pag. 387. & seq.

h) I. c. T. I. pag. 382.

i) I. c. pag. 393.

k) I. c. pag. 374.

l) I. c. pag. 364.

m) VAN SWIETEN I. c. T. IV. pag. 364.

ctis copiam per os effluxisse, legimus in *Ephemeridibus Naturae Curiosorum n*). Insignem salivationem lacteam feminam expertam fuisse, refert Puzos o). A lactis abundantia tumor metastaticus in dorso exortus fuit, obser-vante Ill. HÆNIO p). Journal de Medecine q) notabile satis exemplum recenset, dignum, quod hoc apponatur: tertio nempe die post partum enixum lac tanta in copia mammas infestavit, ut inde enormiter turgescerent; tu-mor ad alas usque fese extendit, collum ac totum pectus occupavit, ut non nisi cum maxima difficultate caput movere potuerit ægrotata, & ut id perficeret, semper bra-chia elevare coacta fuerit; exhibitis remediis tumor qui-dem cessit, sed lac abdomen petuit, illud in magnum ele-vavit tumorem, atque non nisi paracentheseos ope evo-cari potuit. Neque enim abdomen a tali metastasi immu-ne esse, Puzos monet r). Idem lac morbose ad hypogastrium translatum febrem intermittentem excitasse anno-tat s).

Et in inferioribus extremitatibus, præsertim in fe-more metastases lacteæ apparere solent; cellulosa quippe pelvis cum illa vasorum cruralium communicans lac re-ceptum facile in hancce femoris cellulosam transmittit, ita ut sensim sensimque inferiora versus descendat, tandem

n) Dec. 2. a. 6. observ. 76.

o) I. c. pag. 344.

p) Rat. med. T. VII. pag. 134.  
& seq.

q) Tom. XXXIV. p. 284. & seq.

r) I. c. pag. 357. Les dépôts fi-xés dans la région inférieure du ventre sont presque toujours fi-xés depuis l'aine de l'un ou l'autre côté jusqu'à l'épine antérieure & supérieure des os des îles. Il

y en a où l'humeur se dépose sous la peau & les graiffes, d'autres entre les muscles & le péritoine, les plus considérables se logent dans le tissu cellulaire du péri-toine, dans les ovaires & les li-gaments larges. Il est rare que ces dépôts attaquent les viscères &c.

s) I. c. pag. 346. conf. Journal de Medecine Tom. XXI. pag. 112. & seq.

& totam inferiorem extremitatem tumore lacteo infestet <sup>t).</sup>  
Non raro quoque lac in ipsis mammis tales tumores metastaticos producere solet; si nempe in organis hisce exsuperat, aut ductus lactiferi vitio quodam laborant; hinc propter liquidum a tergo urgens retrogredi nescium, aut quod quidem raro fit, in telam cellulosa mammas investientem effunditur, ut magnus æquabilis tumor inde surgat, aut ad organi hujus glandulas, unde pervenit, aberrat, ibidem varios inæquales a se invicem distantes tumores aut nodos efformat, aut in utrisque simul vitium obtinet <sup>u).</sup>

Nonnunquam & lac ad cutem defertur ibidemque diversa exanthemata fuscitat, quorum tres species recenset LEVRET <sup>v),</sup> eorumque originem nimiæ lactis ad pores cutaneos delati spissitudini, ita ut per eos transire nequeat, tribuit. Prima talium eruptionum species & quidem omnium frequentissima sunt miliaria alba, minime vero chrystillina; in altera pustulæ sunt crassiores variolosim similes; tertiam tandem speciem maculæ vagantes, irregulares, parum modo supra cutim eminentes inflammatoriæ indolis constituant, de quibus afferit, quod quandoque malignitatis characterem induant.

Præter recensitas nunc affectiones & alii morbi a lacte ad alienum locum delato & degenerato excitari solent. PUZOS <sup>w)</sup> cariem in articulatione femoris in infantie lacte depravato nutritio oriri vidit. Convulsiones quandoque imo mortem ipsam subitaneam a retrogresso lacte annotavit DAVID <sup>x).</sup>

Perfæpe quoque annotante MECKELIO <sup>y)</sup> variii mor-

<sup>t)</sup> VAN SWIETEN l. c. T. IV.  
pag. 541. LEVRET l. c. §. 934.

<sup>w)</sup> l. c. pag. 349.  
<sup>x)</sup> Sammlungen für praktische  
Ärzte, erstes Stück pag. 126.

<sup>u)</sup> LEVRET l. c. §. 963.  
<sup>v)</sup> l. c. pag. 169. & seq.

<sup>y)</sup> l. c. pag. 57.

bi metastasis lacteæ causam constituere solent, RHODIUS <sup>z</sup>  
feminam vidit, quæ, dum prolem lactabat, febre ma-  
ligna correpta fuit, secabatur ipsi vena basilica, efflu-  
bat lac purum, quod vero morbo per sudorem finito,  
mammillas rursus adiit.

### §. IX.

Quoad morbi nostri diagnosis, illa facilis omnino  
erit, si lacteus liquor ad varia corporis colatoria delatus  
una cum aliis excrementis urina, fæcibus &c. e corpo-  
re eliminatur, habita simul ratione ad mammarum de-  
crescentiam. Quodsi autem hicce humor versus partem  
quandam extetnam migrat, eandem in tumorem elevat &  
varia suscitat symptomata, num illorum id liquidum cau-  
sa sit, dictu omnino difficile est. Quando autem versus  
partem quandam internam ruit ibidemque congestiones  
facit, diagnosis erit difficillima. Videamus itaque, num  
quid certius in re tam ardua prouinciarri possit.

Quum morbi rheumatici aliqui lymphatici tumores  
suis symptomatis fatis prope ad morbum nostrum ac-  
cedant adeoque minus perito imponere possint, signa  
huc afferre, quibus a se invicem dignosci valeant, rei  
ratio postulat. Rheumatismus nunquam non cum gravio-  
ri inflammatione conjunctus est, in lactis autem meta-  
stasi externa nulla vel rarius adest phlegmone idque in  
leviore modo gradu. Membrum quo rheumatismus te-  
net vehementius dolet quam si id tumor lactens occupat.  
Denique & rheumatismus quounque tempore corpus  
afficere potest, quum ut plurimum lacteæ metastases post  
partum oriantur <sup>a)</sup>.

Tumores ferofo - lymphatici in partibus plerumque  
inferioribus v. g. in pedibus incipiunt, sensim sensimque

<sup>a)</sup> Observ. med. Cap. III. obs. 32.      <sup>a)</sup> ASTRUC l. c. T. V. p. 46.

superiora versus ascendunt, ad suras, femora & inguina procedunt b), dum lactei oedematosi tumores intra pelvum originem suam capiant, in inguine atque femore primum apparent siveque successive inferiora versus descendunt. Funiculus vasorum cruralium dolorificus evadit & tactu nonnunquam illum secundum totam suam longitudinem tumoribus olivaribus obsecum deprehendimus; femoris tunc tensio fit summe dolorifica ut plurimum cum calore ac tumore stipata. Tumores quoque illi lactei cutanei magis obscuri, opaci sunt, in minori temporis spatio generantur, & dum formantur, praecipue dolent, duriores sunt digitoque prementi validius resistunt, quam lymphatici.

## §. X.

Quod ad internas metastases attinet, varios observare solemus prodromos ex quibus earum praesentiam colligere licet. Quodsi enim lacteus humor cerebri substantiam petuit, aut inter ejus velamenta sese effudit, ut itaque fatalis immineat puerperæ apoplexia, quam lacteam dicunt, pulsus undulans & celer est, cutis sicca, minime autem ardens, urina simul & fæces plane naturales sunt, lochia parca in copia fluunt, animi accedunt perturbationes, anxietates, horripilationes, deliria, oculi scintillantes aut fixi sunt, inconsueta linguæ hæsitanitia; hæc plerumque excipere solent aurium tinnitus, lethargus, stertor, oris contorsio, tendinum subsultus, validissimæ convulsiones, tandemque mors c). In nonnullis subinde praedicta symptomata tardius & minori cum vehementia, aut modo continua annorum serie sese declarant, quamvis lochia rite fluant; quamprimum autem

b) LEVRET l. c. §. 928. & seq.  
SAUVAGES l. c. T. II. pag. 251.

c) LEVRET l. c. pag. 165.

tem illa supprimuntur, & mammæ decrescent, mania minantur \*).

Peripneumoniam lacteam demonstrant, horror, pulsus frequens, qui progradiente morbo magnus evadit, mammæ decrescent, urina ab initio clara mox rubra reditur, nullus in lateribus adest dolor, vehemens autem anxietas & respiratio laboriosissima, facies rubra, quandoque accedunt sputa pituitosa, nonnunquam cruenta \*\*).

Quodsi malum suam sedem in pleura fixit, dolor adest punctorius atque accidente tussi fere intolerabilis *d*), sputa raro sunt cruenta, difficultas respirandi non continuat, neque calor ardens, symptomata licet graviora suas habent remissiones, abdomen non fit tensum neque caput male sepe habet *e*) & eo ipso ab alia pleuritide peratorisque fluxione sepe distinguit.

Lac ad uterum sepe depositissimum, significant calor hujus visceris ardens, dolor, acris materies per vaginam egesta, symptomata hysterica.

A metastasi lactea in ligamentis latis orta, diri percipiuntur in regione iliaca dolores, tumor adest plus minus eminens, qui, nisi idonea medicamenta prompte in auxilium vocentur, in mali moris abscessum degenerat *f*). In genere si dolor quidam continuus in hac vel illa corporis parte surgit, unde functiones laeduntur, si is praecipue in parte est glandulosa, si post partum nullum lac effluit, absque alia quadam causa manifesta, metastasis lactea omni jure pertimescenda erit. Solus quidem dolor, si is praesertim in abdomine sit, morbum nostrum

\* ) Idem l. c. pag. 167.

\*\*) LE MOINE *Système nouveau de Part de l'accouchement par Mr. Bourton*, pag. 498. DELEURYE l. c. pag. 364.

*d*) LE MOINE l. c. p. 503. LE-

VRET l. c. pag. 168. PUZOS l. c. pag. 374. & seq.

*e*) PUZOS l. c. pag. 376.

*f*) DELEURYE l. c. pag. 377.

non semper designat, quum hic in puerperis a multis  
aliis causis oriri soleat.

§. XI.

Quoad externas corporis partes, quas nostra meta-  
stasis non raro infestat, sedes illius præcipue in glandu-  
lis est atque tela cellulosa; præcedunt illam horripilatio-  
nes cum dolore, febris surgit sensim sensimque incre-  
scens, lingua sordida est, oritur nausea atque vomitus,  
pars illa intumescit, cutis aliquando alienatur; dum eun-  
do vires acquirit morbus plura quidem cessare solent sym-  
ptomata, paulo post autem & majori quidem cum vehe-  
mentia redeunt. Dolor in parte afflita quasi gravatus  
est, qui morbo ulterius progrediente augmenta capit,  
tumor increscit quandoque insigniter, febris vehementer  
est, cutis arida, pulsus tensus, celer, durus, qui autem  
facta jam metastasi parvus redditur, urina antea clara  
nunc fit turbida.

Quodsi lac inter peritonæum & musculos abdomina-  
les nec non ad regionem inferiorem aberrat, tormina  
persentiscit ægrota in tota abdominis regione, quæ au-  
tem nulla subsequitur uteri contractio, neque lochia pro-  
moventur, ut id in confuetis post partum torminibus fie-  
ri solet; appetitus depravatus est, somnus turbulentus,  
motus oriuntur spastici, cum nausea atque horrore, fe-  
bris urget intermittens, mox continua, abdominis vo-  
lumen quovis die cum dolore, tensione & duritate adau-  
getur, viscera inter se quasi conglutinata apparent, de-  
nique percipitur fluctuatio. Lac ad inferiores extremi-  
tates ruens tumorem ibidem creat, ut plurimum autem mo-  
do in altera extremitate, & malo hic discusso ad alteram  
transit g).

g) LEVRET l.c. pag. 176.

## §. XII.

Signis nunc diagnosticis expositis, videndum adhuc est, quid sub hisce rerum circumstantiis sperandum quidque timendum sit. Quum lactea lympha raro in suppurationem abeat, ejusdem quoque metastasis raro periculosa est, ejus autem curatio lenta & difficilis *h*). Puzos *i*) tamen eandam brevi temporis spatio in gangrenam abiare vidit, ita ut coactus fuerit statim amputationem instituere. Periculosior autem illa est, si simul conjuncta est cum phlegmone, etenim sanguis stagnans majores creat dolores, febrem producit, ut suppuratio aut gangrena pertimescenda sit \*). Quo citius post partum continentur, eo quoque sunt periculosiores; primis itaque puerperii diebus, rarissime autem post quartum aut quintum diem febris lactea maligna esse solet, teste *LE ROI k*). Quum uterus, viæ urinariæ simul & alvus vulgatissimæ viæ sint, per quas natura lac eliminare tentat, excretio per uterus saepe fluorem album relinquit, per vesicam parvam solummodo debilitatem inducit.

Si lactis in mammis defectui validæ inflammatoriæ atque malignæ febres cum lochiorum suppressione superveniunt, funestum eventum prædicunt; quodsi autem tunc temporis laetus liquor ad mammae redit, aut per alia colatoria critice eliminatur, spes quædam affulget. Quo nobilius viscus est, quod metastasi afficitur, eo periculosior est morbus; hinc internæ metastases magis omnino pertimescendæ, quam externæ, illarum curatio saepe longius tempus requirunt ut resolvantur. quippe topica medicamenta minus prosunt *l*); attamen & externæ curatu quandoque difficiles sunt, saepe tristes se-

*h*) ASTRUC l. c. Tom. V. p. 462.

*k*) l. c. pag. 200.

*i*) l. c. pag. 347.

*l*) ASTRUC l. c. Tom. V. p. 463.

\* ASTRUC l. c. Tom. V. p. 462.

quelas, gangrenam, suppurationem malignam, ulcera maligna post se se trahunt *m*). Nova imprægnatione adcedente lactea metastasis nonnunquam solvit *n*). Aberrationes lacteæ ferotinæ mali ominis sunt, ut plurimum enim mali moris abscessus & saniosam materiem producent, dum fere nunquam bonum pus fundunt, quod, si resorbetur, febris lenta, hectica, putrida excipere solet.

Dum metastases lacteæ aut resolvuntur, aut in suppurationem aut in scirrum abeunt, resolutio omnino optanda & omni opera promovenda est, dum suppuration atque scirrus, si ægras non e medio tollunt, mortuum tamen semper periculoso reddunt *o*).

Lactis ad caput aberrationem ab omni fere tempore curam non admittere Medici pronunciarunt; Puzos tamen *p*) illam fere æque curat facilem esse ac alias asserit, modo idonea remedia per sat longum tempus continentur, simul & majori in dosi, quæ omnino requiritur, exhibeantur. Novi feminam, quæ a lactis ad cerebrum regressu mania prehendebatur, cui tartari emeticci dimidia drachma tres solummodo vomitus procurabat.

Maximum periculum est, si lac ad cerebrum aberrans apoplexiā inducit *q*), raro enim tollitur, citoque ob nimiam vasorum dilatationem vel & rupturam lactisque extravasationem jugulat, ut id ex cadaverum sectione appareat.

Pueræ proli mammae denegantes & ita lac repellentes præ aliis peripneumonia atque pleuritide periclitantur *r*), dolor in latere pectorius licet vehemens sit, si tamen nulla accedit hæmoptisis, non adeo pertimescendus est; si sputa adsunt sanguine permixta, facies admodum rubra est, morbus quandoque in pulmonum

*m*) DELEURYE l. c. pag. 357.

*p*) Idem l. c. pag. 389. & 392.

*n*) PUZOS l. c. pag. 393.

*q*) LEVRET l. c. pag. 166.

*p*) Idem l. c. pag. 365.

*r*) WHITE l. c. pag. 119.

suppurationem ac phthisin, saepius autem brevi temporis spatio in gangrenam & mortem abit <sup>s).</sup>

Quodsi lac ad abdominis cavum ruit ibidemque in intestinorum gyros effunditur, ut plurimum mortem affert; duos tales casus elapsa hieme vidi. In textu cellulosi fistulas creare solet, si id præcipue intra peritonæum & abdominales musculos fiat. Lac in mammarum cellulosa stagnans in suppurationem abit, sibi ipsi plerumque viani aperit, & ulcus dein intra paucum temporis spatiū abstergi solet <sup>t)</sup>: quodsi autem ad mammarum glandulas repellitur, & ibi suppurationem excitat, tunc malum per longius omnino tempus, & per integrum quandoque annum perdurat, usque dum tandem tota glandula fusa sit; hinc mamma crebro ad parvum admidum volumen reducitur <sup>u).</sup> Lacti ad uterus aberranti si non oxyus efficacissima remedia opponuntur, ægrotum sumnum minitatur periculum <sup>v).</sup>

### §. XIII.

Hisce nunc in genere prælibatis, reliquum est, ut & paucis adhuc ipsam nostram observationem pertractemus. Ægrotam nostram, quæ satis bona antea fruebatur sanitate, subito exorto incendio tanto percullam fuisse terrore, ut lac in instantे e mammis retrocederet, indeque varia mala haud adeo facile debellanda subsequerentur, dictum fuit. Terrorem, animi pathema, quod brevi temporis spatio dirissima mala inducere valet, adeoque corpori nostro infestissimum est, pro suo more egregie descripsit GAUBIUS <sup>w).</sup> Quantam enim vim terror in

<sup>s)</sup> LEVRET l. c. pag. 168.

<sup>w)</sup> l. c. §. 542. *Terror, ait, præ-*

<sup>t)</sup> Idem l. c. pag. 183.

*ceteris perniciosis, systema ner-*

<sup>u)</sup> PUZOS l. c. pag. 348. LE-

*veum violentissime quassando,*

VERET l. c. pag. 183.

*spasmos, convulsiones, epilepsi-*

<sup>v)</sup> LE MOINE l. c. pag. 503.

*am, stuporem, imaginationem*

delicatis præcique mulierculis, quibus sistema nervosum admodum mobile est, in concutienda, perturbanda, imo & penitus destruenda corporis machina possideat, experientia docet, licet modum, quo hoc fiat, ignoramus. Id saltem affirmare liceat, nervos in humorum circuitum magnum habere imperium, ut in terrore percussis vasa præcipue se- & excretoria subito constringantur, liquidum eliminandum repellatur, & ita variis in corporis locis variae suboriantur metastases vitae haud raro funestissimæ. Puzos  $\alpha$ ) feminam terrore ab incendio concussum quinto die perire vidit; sexto cadavere libram unam lactis extravasati & coagulati in abdominis cavo reperit. Minus itaque miramur congeriem tot tantorumque symptomatum quibus & nostra ægrotia afflita fuit.

Lac enim in mammis retrocedens atque in humorum massa oberrans in minima præcipue vascula ferosa quippe & lymphatica adeoque & ad glandularum habitum dum penetrat, viscera infarcire, vasa obstruere idque eo magis, quo major est a partu distantia, quippe lac semper spissius crassiusque fit  $\gamma$ ), jam in superioribus annotatum fuit. Perturbantur inde fluidorum motus, surgunt febriles in corpore commotiones; hinc & febre continua ægrotantem nostram prehensam fuisse nemini mirum videbitur; idem observavit & cel. PLANCHON  $\tau$ )

*depravatam inducit; constrictis  
subito vasculis minoribus, humoris  
versus vasa majora cogit,  
cor in palpitacionem, pulmones  
in angorem conjicit, pallorem,  
frigus, congestiones, abortum pa-  
rit, evacuationes supprimit, su-  
bito necat.*

$\alpha$ ) I. c. pag. 372.

$\gamma$ ) ASTRUC I. c. T. VI. pag. 185.

$\tau$ ) Journal de medecine Tom.

XXIV. p. 414. *La nature, inquit, alors surchargee d'une humeur qui ne peut que troubler le mouvement des fluides si elle n'enfile la route qui lui est destinee, je trouve opprimee : le jeu du cœur & des vaisseaux en est plus agite ; & la fièvre inflammatoire, quelquefois putride, par le transport de quelque matière laiteuse sur quelques viscères &c.*

nec non cl. DAVID a). Lac porro in vasorum systemate retentum vasis molestiam creare, dumque subigi nequit, mora atque calore degenerare, supra quoque monui. Vasa itaque lateralia necessario dilatari, quin & disrumpi debent, ut itaque lacteus humor per anastomosin, dia-pedesin & diaeresin in varias corporis partes debilitatas præprimis, quippe quibus minor est resistentia, aut quæ ex sua natura facillime sese distendi patiuntur b), effundatur. Hinc feminæ sæpius post partum in regione præcipue hypogastrica, inter peritonaeum atque abdominales musculos tales lactis aberrationes experiuntur. Hancce autem peritonæi membranam minima quoque vascula, lymphatica quippe adire, præter RUDBECKIUM c), cel. NUCKII præcipue experimenta demonstrant d), qui dum in causas hydropsis hujus membranæ inquisivit, eadem detexit, atque magna in copia tam in cellulosa quam in ejus duplicatura repere atque sacrales glandulas penetrare vidit. Hinc & lacteum liquorem, qui uti jam dictum, minima præcipue vascula petere solet, in nostra ægrotia ad hancce usque membranam penetrasse ibique metastatic depositum fuisse, nulli miramur.

#### §. XIV.

Peritonæi morbis & lymphæ præcipue extravasationi feminas præ viris magis obnoxias esse, nunquam non

a) Sammlung außerlesener Ab-handlungen für prædicta Aerzte Tom. I. p. 124. Ist nun der Milch ihr gewöhnlicher Ausgang versperrt durch die Brüste, und kehrt sie zu dem Herzen zurück, so folgt nun ganzt, natürlich das durch die in so großer Menge zufließende Feuchtigkeit das Herz überladen wird, sich öfters zusammenziehen, die Hitze im Cör-

per zunehmen, und endlich fröhlich, od. spät ein Fieber entstehen müsse.

b) GAUBIUS l. c. §. 403. Tela cellulosa que partium interstitia undique replet, facile diffundenda, frequens & commodum effusus præstat receptaculum.

c) Exerc. anat. exhib. ducl. hep. aquos. cap. 9.

d) Adenologia curiosa cap. 9.

observatores animadverterunt. Variæ omnino causæ esse possunt, quæ sequiorem sexum ad eos disponunt. MORGAGNIUS e) aliquie gestationem præcique in utero, qua peritonæum mirum in modum distenditur, relaxatur & debilitatur, accusant. Facit huc non minus sanguinis ad ventris inferiores partes singulis mensibus confluxus; vita quoque sedentaria ad sanguinis venosi redditum promovendum minus idonea; simul & pessima nec unquam sati imbrobata consuetudo ventrem thoracibus præsertim durioribus ac rigidioribus constringendi, quo ob impedimentum humorum refluxum necessario infini ventris partes debilitari, sique accendentibus causis occasionalibus facile in hisce partibus diversa mala surgere debent. Lactis quippe secretionem per consuetas vias cohibita, hicce liquor in sanguinis massam retrogressus perpetuo annotante Puzosio f), ad partem debiliorem, ubi minorem reperit resistentiam ruet, ibidemque metastasis lacteam inducit.

### S. XV.

Origo nunc atque progressus morbi in nostra ægrotta observati non erit explicatu difficilis. Lac nimurum ratione jam dicta sanguinis massæ traditum vasorum systemati molestiam creavit, dumque a naturæ viribus subigi haud potuit, mora atque calore degeneravit, hinc viscera infarsit, motumque fluidorum turbavit, unde omnia enarrata symptomata necessario derivanda sunt. Cum porro uti jam dictum, lacteus liquor sese facilius cum tenuioribus humoribus sero quippe atque lympha commiscet, ad hæcce usque vascula, quæ supra peritonæi laminam nunc absque dubio reiteratis partibus admodum debilitatam, numerosissima decurrere mox dixi, penetravit,

e) *De sedib. &c. causis morborum* Epist. XXXVIII. a. 53. & 55.

f) l. c. pag. 387.

vit, eadem distendit, tandemque lacte effuso varia magnitudinis receptacula inter se communicantia efformavit g), dumque in his lactea materia sensim sensimque accumulata fuit, vicinæ inde partes, umbilicus præcipue quam maxime expansa, tandemque eadem acri reddita eroſa fuere, ut itaque lac sponte sibi per umbilicalem anulum viam aperuerit, atque maxima in copia effluxerit, quo facto ægrotam magnum solamen percepisse, minime miramur. Quum autem ob sinus admodum tortuosos cuncta materies minus bene eliminari potuerit, ulteriori mora atque calore simul & accedente libero aëre pejorem induit indolem, acrior maximeque foetida reddita fuit; sic latera sensim facta fuere callosa, materies nunc saniosa, sanguinolenta, putrida in humorum massam partim resorpta viscera denuo fomite putrido infarsit, ferebique lentam accedit.

Nec defunt in observatorum monumentis & alia exempla ejusmodi lacteæ materiæ per umbilicum effluxus. CHOMEL h) de singulari post partum ad peritonæum latis depositione inter alia & sequentia annotavit: Femina vigesimum quartum annum agens post partum feliciter absolutum prehendebatur febre continua; abdomen quam maxime tumidum simul & dolorificum evadebat, ejusdem volumen quovis die adaugebatur, usque dum tandem per umbilici aperturam quatuor ad quinque pintæ humoris serosi lactei colore ad cineritium accidente, odore suburinoſo effluerent Profunditate in qua is tanquam in suo receptaculo continebatur, per stilum explorata, hicce saccus usque ad partes hypogastræ laterales & inferiores, ad ossa usque pubis & inguina fese extendebat, nullibi autem cum ipso abdominis cavo communicabat;

g) WINSLOW Exposition anat. T. IV. p. 9. Textum cellulosum peritonæi cellulas in folia admodum subtilia expansas format, atque crassa redundunt; ut pro totidem laminis peculiaribus habentur.

h) Mémoire de l' Academie des Sciences ann. 1728. p. 418.

sensim sensimque appropriatis remediis exhibitis hæcce  
femina cum sanitatem iterum rediit in gratiam.

Huic haud multum absimilem casum legimus in *Eph. Nat. Curius. i)* de muliere metastasin lacteum experita, quæ in hypochondrio dextro simul & epigastrio obtutum aliquem dolorem & tensionem, circa umbilicum dein primo titillationem, postea vero pruritum persensit; umbilicus madere & serosi aliquid transmittere observabatur; de lactis itaque ad huncce locum depositione suspicatum fuit, quod & nonsolum hujus liquidi color, sapor & consistentia sed & butyrum agitatione & conquassatione exinde coagulatum satis superque demonstravit; exploratione instituta, stylus leniter hinc inde conversus facilimam sibi invenit viam versus hypochondrium dextrum, subsequenti die instrumentum absque violentia vel patientis molestia usque ad hepar ligamentumque umbilicale penetravit; tandem traumaticorum medicamentorum uberioremque lactis proventum compescientium usu fons hic lactifluus decrescere & paulatim exsiccari coepit, mulierque in pristinam restituta fuit sanitatem.

*MILLERET k)* de femina, quæ abortiverat, refert, quod febre admodum violenta cum lochiorum suppressione prehensa fuerit; parum solummodo lactis ex mammis admodum turgidis effluuebat, abdominisque volumen quotidie augmenta capiebat; re accuratius investigata, matres quædam liquida subalbida per umbilicum exfudare visa fuit, cuius quoque successive sex ad septem pintæ per dictam aperturam evacuatæ fuerunt; injectionibus demulcentibus detergentibus tandemque antisepticis huic malo resistere tentatum fuit; tandem autem portio quædam intestini tenuis penitus lividi per foramen protuberabat, quod sensim sensimque nimis quippe alteratum aliquot diebus post disruptum apparuit; optimis autem

*i) An. VIII. Dec. II. obs. 177. k) Journal de Medecine Tom. XIII. p. 231.*

remediis exhibitis abdomen multum volumine diminu-  
batur, cessabat lactis profluvium, accrevit intestinum  
vulneri, quod quoque sensim consolidatum fuit, ita ut  
ægrotæ postea optima frueretur sanitate.

### §. XVI.

Vires interim ægrotæ nostræ quam maxime proster-  
nebantur, omnes viscerum atque vasorum functiones per-  
turbabantur vehementissime; hinc & ter menstrua per  
umbilici quam maxime debilitati <sup>l)</sup> aperturam effluxisse,  
non mirabitur, qui perpendit, nullam fere in corpore  
partem esse, per quam non eliminata fuerint <sup>m)</sup>.

Per umbilicum menstrua prodiisse autorum observa-  
ta docent; ZACUTUS LUSITANUS <sup>n)</sup> feminæ meminit, cui  
singulo mense post dolorem umbilici per octo dies san-  
guis menstruofus ad libras tres ex illo erumperet; & cef-  
fante fluxu alacriter vivebat. RHODIUS <sup>o)</sup> menses per uni-  
bilicum statis temporibus evacuatos fuisse vidit. DONA-  
TUS <sup>p)</sup> de femina annotavit, quod omni mense catame-  
nia quandoque cum vivis lumbricis per umbilicum effusa  
fuerint. In Eph. Nat. Curios. sequens notabilis casus re-  
cenietur; <sup>q)</sup> Erat aliqua femina ceteroquin sana, quæ  
stato tempore effluxum menstruum per consuetam viam  
sed cum dolore experta fuit, verumtamen eo ipso tem-  
pore simul circiter unciaæ duæ sanguinis materia fabulo-  
sa inquinati per umbilicum proruperunt.

### §. XVII.

In tanta nunc malorum caterva, quibus affligebatur

<sup>l)</sup> ASTRUC l. c. T. I. p. 248.

<sup>m)</sup> BOERHAAVE de cognoscen-  
dis & curandis morbis Aphorism.  
1286. Sanguine, inquit, menstru-  
oso sic accumulato mira sepe pa-  
ratur viæ, dum per oculos, au-  
res, nares, gingivas, vias sali-  
vae, oesophagum, alium, vesi-  
cam, mammas, cutim, vulnera,  
ulcera, illum exire viderint medi-  
ci. Conf. SCHURIGIUS Partheno-

log. cap. 3. Frequentissime men-  
strua ex partibus ulcere affectis pro-  
dire legis apud SWIETENIUM l. c.  
T. IV. p. 376.

<sup>n)</sup> Praxi medica admir. L. II.  
obf. 101.

<sup>o)</sup> Obf. med. Cent. II. obf. 49.

<sup>p)</sup> Medicin. Histor. mirab. L.

IV. c. 26.

<sup>q)</sup> Ann. VII. dec. II. obf. 228.

ægrota nostra, omnia omnino auxilia eo dirigenda erant, ut eliminetur in corpore fomes putridus, viscera infarcta ac indurata deobstruantur, menstrua ad vias naturales revocentur, ulterior saniosæ materiei resorptio præpediatur, sicque febris lenta tollatur, latera callosa destruantur, atque corpus in universum ita disponatur, ut bonam iterum ad consolidandam plagam materiem funderet.

Huncce in finem evacuantia, resolventia, injectiones emollientes, simul & balnea optimo cum successu præscripta fuere. Evacuantia quippe saponacea faburram elminarunt e primis viis, resolventia amara, salia media, herbarum succi debilitatis vasis stimulum iterum consilabant, humores spissos, quibus viscera infarcta fuere, resolvebant, sicque materiem heterogeneam ad colatoria corporis naturalia derivabant, id quod supvenientes sudores & urina turbida evidenter demonstrarunt, quippe ad quas excretiones promovendas non parum quoque contribuerunt balnea calide admota, dum humores attenuando, cutis habitum relaxando materiem heterogeneam ad externa magis invitant. Massa humorum nunc suis heterogeneis liberata, nec non lateribus plague callosis injectionum emollientium & detergentium ope correctis, humor iterum blandus gelatinosus propullulabat ex plague lateribus, itaut brevi temporis spatio omnia rursus consolidarentur, atque ægrota, Deo favente, ex orci quasi faucibus erupta pristinam recuperaret sanitatem.

#### THESES.

- I. Citra capitis incuneationem, forcipe tamen nonnunquam extrahendum est caput.
- II. Placenta extraictio minime accelerari debet.
- III. Quilibet femina tenetur nihil obstante proprium lactare infantem, tum ab suam tum ipsius infantis sanitatem conservandam.
- IV. Cinnabaris neutiquam iners medicamentum.
- V. Omne alcali vegetabile ab acido surgit.
- VI. Nervos mediante suo fluido suas peragere actiones, valde probabile est.
- VII. Cartilagineis Laryngis per fluxum adstricatum difficile comprimuntur, aut franguntur, binc neutiquam strangulati suffocati, sed apoplectici moriuntur.
- VIII. Certum tempus, intra quod vulnerum lethalitas determinatur, definiri nequit.





Argentoratenses, Mech. Diss., 6  
= Straßburg      f Eberle-Eyting

ULB Halle  
003 714 942

3




VDCA  
VD18





B.I.G.



Q. D. B. V.

DISSESTITO INAUGURALIS MEDICA

DE

ETASTASI LACTEA

QUAM

ILLISTRIS MEDICORUM ORDINIS

CONSENSU

DIVINO NUMINE AUSPICE

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES

ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

LEGITIME OBTINENDI

D. V. SEPTEMBR. A. R. S. MDCCCLXXXI.

SOLENNITER DISQUIRENDAM PROPOSIT

JOHANNES JACOBUS EMBSER

ALSATO EPISCOPIVILLENSIS.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI

excudebat JOH. HENRICUS HEITZ, Universitatis Typographus.